

rarum spatia in horologio Ezechie ¹¹³⁾, hec ratio turbata est, sed potius sicut ante hec sic et post hec miracula sua stabilitate decurrit. Et licet rudes homines hec eius natura latuerit, Moysen tamen et eius precessores sanctos patres temporum dissertores et supputatores nullatenus latuit; unde et summam temporum eodem modo, quo nunc computantur, computaverunt. His igitur sic se habentibus et quasi quodam immobili fundamento assertioni nostre preiacentibus calculatorie artis ratione duce possumus ^{a)}, ut reor, veraciter et lucide sacra et canonica scriptura nobis attestante procursum totius temporis ab ipso mundi exordio secundum eam, quam credimus esse et tenemus hebraicam veritatem, usque ad nativitatem vel passionem Christi Iesu, et abinde usque ad tempora nostra descendendo vel econtra a nostris temporibus ad passionem vel nativitatem Christi et abinde usque ad ipsum mundi primordium ascendendo considerare, et sic utrisque terminis ^{b)} scilicet statu nostri temporis et mundi originis in medio termino, videlicet nativitate vel passione Domini, sibi concurrentibus et respondentibus lunam dominice passionis et resurrectionis planissime cyclorum ratione investigare.

Cap. II.

Sciendum est autem, quia aliter se habet compotus Hebreorum, quo usi sunt antiqui patriarche et ^{c)} prophete, sed et evangeliste, et aliter se habet compotus Grecorum et Latinorum, quo nunc maxime utuntur Christiani. Hebrei quippe seriem temporum per lunares annos estimabant, sed Greci et Latini per solares et lunationes Aprilis, Iunii, Augusti et ceterorum mensium, quas nos numeramus XXIX dierum, illi numerabant ^{d)} XXX, quas nos XXX, illi XXIX; embolismos omnes XXX dierum sicut et nos preter ultimum, illi ^{e)} XXIX dies tamen evererant ^{e)}, eisdem epactis, eisdem quoque concurrentibus usi sunt ^{f)}, quibus et nos utimur; sed sedem epactarum, quam nos in XI Kal. Apr. ¹¹⁴⁾ ponimus, ipsi posuerunt ^{g)} in XII Kal. Apr.; de ^{h)} qua diversitate compoti Hebreorum et Christianorum uberius in compoto nostro agitur; ista tamen ad presens dixisse sufficiant ^{h)}.

Cap. III.

Proponamus ergo nobis quasi tres terminos, duos extremos, scilicet epactas et concurrentes primi anni, in quo mundus factus est, et eas, que sunt presentis anni, et unum medium, videlicet epactas et con-

^{a)} possumus T. ^{b)} terminus T. ^{c)} *fehlt* A. ^{d)} *fehlt* A. ^{e)}—^{e)} *fehlt* A.
^{f)} utuntur *statt* usi sunt A. ^{g)} ponunt A. ^{h)}—^{h)} *fehlt* A.

¹¹³⁾ IV. Reg. 20, 9 ff., vgl. Is. 38, 8.

¹¹⁴⁾ 22. III.